



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Die S. Thomæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

alijs duobus, *In terra pax hominibus bona voluntatis.* Epilogus quartam Concionem faciet, præfixo utroque themate: neque omittendus videtur, etsi Adventus brevior esset: potius contrahendæ forent aliæ Conciones.

DIE S. THOMÆ.

THEMA. *Thomas, unus de duodecim, qui dicitur Didymus.* Joan. 20.

Thomæ nomen duo significat, Abyssus, & Geminus. Ex hoc Evangelio verè fuit Abyssus D. Thomas, & quidem duplex, miseræ & misericordiæ: abyssus abyssum invocavit. Fuit geminus facie duplici, unâ horrendâ peccatoris, aliâ pulcerrimâ poenitentis & Justi. Vtramque intueamur: illam pinxit liberum arbitrium, hanc gratia, quam imploremus. A V E.

Ex frequentissimis pariter & maximis Providentiæ divinæ miraculis, est rerum compositio ex contrariis, & vicissitudo perpetua. Siracides cap. 33. *Duo contra duo, unum contra unum.* Intuere mundum magnum, tempestates annuas, elementorum pugnas, lucis & tenebrarum alternationem. Intuere mundum politicum; nunc pacem, nunc bellum; nunc prosperitatem, nunc adversitatem; nunc ortus regnorum, nunc interitus. Intuere mundum parvum, id est hominem, quæ pugna in humoribus, quæ varietas in ætatibus, quæ in membris sanitateque mutatio? Quid autem si interiorem hominem inspicias;

nunc bonum, nunc malum; nunc in caelos erectum, nunc in terra repentem; nunc totum Dei, nunc totum sui; nunc peccatorem, nunc justum? Neque in hominibus tantum idiotis tales mutationes permisit Deus, sed etiam in columnis caeli, in Apostolis suis, ut si quando, quod absit, fragilitas nostra ad malum nos trahat, animum non despondeamus, neque obstupescamus, tamquam ad rem insolitam.

Thomas ille tam generosus, ut mortem cum Christo, & pro Christo, provocaret, *Eamus & nos, & moriamur cum eo*: ille talis ante Christi mortem, quò devenit post mortem? Ad abyssum & fundum peccati. Unde tamen mox ad altissimum sanctimoniae culmen surrexit, gratia Christi resuscitati. Dubitari non debet, quin peccatum D. Thomae fuerit Infidelitas & quidem positiva. Varia enim sunt Infidelitatis genera, & species &c. Non dubitavit Augustinus serm. 59. *Dum curiosus existit in vulnere, mortem incurrit in fide*. Ea infidelitas fuit Hæresis, cum pertinacia. Accessit Superbia, quod alios præ se contemneret: Præsumptio, quod vellet tangere Christum, & pro se fieri miraculum: Obduratio ad tot dies, & tot sine dubio Apostolorum obtestationes. Causæ istorum peccatorum fuerunt, Absentia à bono consortio, alia Infidelitas, Passio vehemens. Hæc facile extendentur, tum ex rei ipsius natura, tum ex Interpretibus, præsertim Toletio.

En Thomam valdè malo loco: nunquam
forfan

forfan tam malo ipsum vidistis. Sed manete tantisper, & miraculum misericordiae intuemini. Venit Christus, fornacem amoris gestans in pectore, ut expellat frigus omne peccati &c. Compensat Thomas Fide Infidelitatem, *Deus meus* &c. adeo ut proponatur ab Ecclesia pro exemplo fidei in Collecta hodierna. Constantia succedit pertinaciae, in tot Apostolicae vitae malis patiens &c. Humilitas contundit superbiam, placet ipsi ut peccata sua publicentur. Praesumptionem vera spes expellit, inde miracula. Obdurationi longae opponitur diuturna per Indias peregrinatio cum laboribus.

Habemus timendi materiam in D. Thoma, talis &c. Multo majorem sperandi: clamat nobis idem, quod D. Paullus, *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus* &c. Quid duos numeramus, cum sint innumeri? Dicimus, Judicium extremum esse Theatrum divinae Justitiae. Mihi videtur, non minus esse Theatrum Misericordiae. Fingamus nos ibi esse, nec jam in turba eorum, qui a dextris sunt, haereamus; sed eos intueamur, qui sedent super sedes duodecim? Quinam illi fuerunt? Spero, Christe, per suavem & fortem tuam gratiam fore, ut, una cum illis, providentiae tuae mirabilia, & misericordias tuas, in aeternum cantem.